

De Consecratione Electi in EpiscopumI: PraenotandaDe Consecratione in genere

- 1) Nemo consecrari debet, nisi pridus constet Consecratori principali de commissione consecrandi sive per litteras Apostolicas, si sit extra curiam, sive per commissionem vivae vocis eraculo, a Summo Pontifice Consecratori principal factam, si Consecrator principalis ipse sit Cardinalis ^{a)}.
- 2) Episcopus consecrator principalis debet alias duos epis copos consecrantes adhibere ^{a)}; valde optandum est, ut omnes Episcopi praesentes una cum Consecratore principali Electum consecrent ^{b)}.
- 3) Electum saltem duo presbyteri eius presbyterii assistent ^{a))}.
- 4) Dies consecrationis debet esse Dominica vel Natalitium Apostolorum vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit ^{a)}.

De Concelebratione Missae, in qua Consecratio episcopalis confertur

- 5) In liturgia verbi semper Consecrator principalis praesideat concelebrationi, quam praesidentiam etiam habet in liturgia eucharistica, si consecratio non in ecclesia propria Episcopi nuper consecrati fit; hoc in casu Episcopus nuper consecratus primum locum teneat inter alios

ad 1: a) Cf. Pontificale Romanum

ad 2: a) Cf CIC c 954

b) Cf. Const. 'Sacrosanctum Concilium' art. 76

ad 3: a) Cf. infra n. 18 (nota)

ad 4: a) Cf. Pontificale Romanum

concelebrantes.

Sic autem Consecratio fit in ecclesia propri Episcopi nuper consecrati, ipse praesideat concelebrationi in liturgia eucharistica ^{a)}; hoc in casu Consecrator principalis primum locum teneat inter alios concelebrantes.

- 6) Valde convenit, ut omne Episcopi consecrantes missam concelebrent ^{a)}. Insuper optandum est, praesertim, si Consecratio fit in ecclesia propria Electi, ut vetiam nonnulli presbyteri ^{b)} saltem duo - concelebrationi intersint.
- 7) Consecrator principalis et Episcopi Consecrantes et concelebrantes (et presbyteri forte concelebrantes) sacras vestes induere debent sicut in Ritu servando pro Concelebratione Missae statutum est ^{a)}. Episcopi autem Consecrantes, qui non concelebrant, sumunt amictum, rochetum, crucem pectoralem, stolam, pluviale, mitram. Electus induit amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem ^{b)}, stolam, casulam, manipulum.

ad 5: a) Cf. Sess.Cons. VI, Schema 102, n. 43 (Quaes. XXII) 'Optandum est enim, ut traditio antiqua romana (Cf 'Traditionem Apostolicam' S.Hippolyti Romani: B.Botte, La Tradition apostolique ... p. 11) quae etiam in oriente viguit (Cf. Constitutiones Apostolorum VIII 5, 9: ed. F.X.Funk, p. 476) restitur, secundum quam in concelebratione consecrationem episcopalem sequente Episcopus in ecclesia propria consecratus sit celebrans principalis. Hic modus magis respondet menti Constitutionis 'Sacrosanctum Concilium' art. 41 et etiam menti Constitutionis 'Lumen gentium', art. 26).

ad 6: a) Cf. Ritum servandum in concelebratione Missae, n.
b) De presbyteris in Missa, in qua Consecratio episcopalibus confertur, concelebrantibus in Sess.Cons.VI, Schema 102, n. 31 dictum est. Hic modet respondet menti Const. 'acrosanctum Concilium' art. 41: 'Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est ... praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praest Episcopus a suo presbiterio et ministris circumdatus'.

ad 7: a) N. 12.

b) Cf. Pontificale Romanum

De benedictione annuli, baculi Pastoralis, mitrae

8) Optandum est, ut ad abbreviandum ritum Consecrationis episcopalis benedictiones annuli, baculi Pastoralis, mitrae tempore opportuno, ante ipsam actionem sacram peragantur a).

9) De annuli benedictione

Pontifex sine mitra benedicit annulum dicens: a)

10) De baculi Pastoralis benedictione

Pontifex sine mitra benedicit baculum Pastoralem dicens: a)

11) De mitras benedictione

Pontifex sine mitra benedicit mitram dicens: a)

De iis quae paranda sunt

12) Praeter ea quae pro Missae concelebratione necessaria sunt in credentia haec parentur:

- a) annulus, baculus Pastoralis, mitra pro Electo;
- b) dona pro offertorio: duo intortitiae, duo panes, duo barilia vino plena a);
- c) libelli orationis Consecrationis pro Episcopis consecrantibus b).

13) Sedes pro Consecratore principali, Episcopis consecrantibus, Electo, presbyteris forte concelebrantibus parentur huc modo:

- a) In liturgia verbi sedes pro Episcopis consecrantibus iuxtam sedem Consecratoris principalis stent, sedes pro Electo et presbyteris assistantibus (et forte concelebrantibus) stent in opportuniore loco presbyterii versae ad sedem Consecratoris principalis.
- b) Si opus est in Consecratione Electi parentur sedes pro Consecratore principali et Episcopis consecrantibus inter altare et cancellos, ita ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

ad 8: a) Cf. Sess. Conavi, Schema 102, n. 22 (Quaes. IX).

ad 9: a) Formula adhuc exarabitur.

ad 10: a) Formula adhuc exarabitur.

ad 11: a) Formula adhuc exarabitur.

II: De liturgia verbi

- 14) Omnibus rite dispositis ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Subdiaconum librum Evangeliorum deferentem sequuntur presbyteri concelebrantes, quorum duo digniores Electum a dextris et as sinistris ducunt, deinde Episcopi consecrantes ac denique Episcopus Consecrator principalis medium inter duos Episcopos Consecrantes digniores.
- 15) Peragitur liturgia verbi more in Ritu servando pro Concelebratione Missae descripto.
- 16) Dicto evangelio vel symbolo expleto, si Ordo missae id postulat, incipit Consecratio episcopalium. ^{a)}

ad 12: a) Cf. Pontificale Romanum
b) Cf. infra n. 30

ad 16: a) Cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 41 (Quaes. XX):
'Locus aptior omnium rituum Consecrationis episcopalium esse videtur ... inter duas partes missae, inter liturgiam nempe verbi et eucharisticam ... (Secundum Traditionem Apostolicam' S. Hippolyti Romani consecratio episcopalium fit immediate ante liturgiam eucharisticam: cf. B. Botte, La Tradition apostolique ... p. 10).'

III: De Consecratione episcopali

- 17) Iuxta ordinem supradictum ^{a)} parantur sedes pro Consecratore principali et pro episcopis consecrantibus.
- 18) Electus a duobus presbyteris assistantibus ^{a)} adducitur ante sedem Consecratoris principalis, cui reverentiam faciunt capita inclinantes.
- 19) Dignior presbyterorum assistantium alloquitur Consecrator rem principalem his verbis:
Reverendissime pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc praesentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.
Consecrator principalis dicit:
Habetis mandatum Apostolicum?
Respondet dignior presbyterorum assistantium:
Habemus.
Consecrator principalis dicit,
Legatur. ^{a)}
- 20) Tum notarius Consecratoris principalis accipiens mandatum de manu presbyteri assistantis legit mandatum. Mandato per notarium perfecto Consecrator principalis dicit:
Deo gratias. ^{a)}
- 21) Deinde Consecrator principalis facit verbum ad clerum et ad populum neconon et ad Electum coram se sedentem de munere episcopali ^{a)}.
Si velit, facere potest his verbis: ^{b)}.

ad 17: a) Cf. supra n. 13.

ad 18: a) Cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 33 (Quaes. XVI): 'In celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere sub fungens, solum et totum id agit, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet (Const. 'Sacrosanctum Concilium' art. 28). Ut investigatio historica demonstrat, era antiquus usus romanus, ut delegati cleri et populi ecclesiae episcopum desiderantis a consecratore, in hoc casu a Pontifice Romano, consecrationem Electi postularent (Cf. OR XXXIV, 21 ss; ed. M. Andrieu, 'Les Ordines Romani ... III, 608 ss; OR XXXV B, 1 ss ibid., IV, 100 ss)!.'

ad 19: a) Cf. Pontificale Romanum

ad 20: a) Cf. Pontificale Romanum

22) Post allocutionem surgit Electus et stat ante Consecratorem principalem sedentem cum mitra. Consecrator principalis examinat Electum his verbis: a)

Vis munus nobis ab apostolis creditum et tibi per dimissionem manuum nostrarum tradendum cum gratia Spiritus sancti usque ad mortem explorare?

Electus respondet: Volo.

Vis Evangelium Christi fideliter et indeficienter praedicare?

R: Volo.

Vis depositum fidei purum et integrum custodire?

R: Volo.

Vis Corpus Christi - ecclesiam eius - aedificare et in eius unitate cum ordine episcoporum, sub auctoritate successoris beati Petri apostoli permanere?

R: Volo.

Vis plebem tibi commissam, una cum presbyterio tuo, ut pius pater fovere et in viam salutis diriger?

R: Volo.

Vis oves quae perierunt ut bonus pastor requirere et ovile dominico aggregare?

R: Volo.

Vis Deum omnipotentem pro populo sancto indesinenter exorare et sine reprehensione summi sacerdotii munus explorare?

R: Volo.

ad 21: a) Cf. Sess.Cons. VI, Schema 102, n. 34 (Quaes. XVII)
'Optandum est, ut in rubricis praescribatur allocutio a Consecratore populo facienda de munere episcopali ... immediate post lectionem Mandati Apostolici, ante examen Electi'.

b) Formula adhuc exarabitur.

ad 22: a) Cf. Sess.Cons. VI, Schema 102, n. 37 (Quaes. XVIII)

- 23) Deinde omnes surgunt. Consecrator principalis dicit versus ad populum:

Oremus, dilectissimi nobis, ut huic Electo utilitati ecclesiae providens benignitas omnipotentis Dei gratia suea tribuat largitatem. a)
Diaconus:

Flectamus genua.

- 24) Et mox Consecrator principalis et Episcopi consecrantes ante sedes suas cum mitris procumbunt; Electus vero prosternit se a sinistris Consecratoris principalis; ministri etiam atque alii omnes genuflectunt.

Tum cantores incipiunt Litanias. a)

Post ultimam invocationem addatur:

Ut hunc Electum benedicere digneris. R: Te rogamus ..

Ut hunc Electum benedicere, et sanctificare digneris.

Ut hunc Electum benedicere, et sanctificare, et consecrare digneris. b)

ad 23: a) Textus receptus: Pontificale romano-germanicum, cp. LXIII, n. 29 (ed. Vogel-Elze I, 216) et in sequentibus Pontificalibus romanis; in Sacramentarii Gelasiano Vet. (ed. Mohlberg n. 766) et in Missali Francorum (ed. Mohlberg n. 36) textus sic sonat: 'Oremus, dilectissimi nobis, ut his viris ad utilitatem ecclesiae providendis, benignitas omnipotentis Dei gratiae suea tribuat largitatem.'

ad 24: a) Cf. Sess.Cons. VI, Schema 102, n. 38 (Quaes. XIX) Forma litaniarum aptior et brevior adhuc exarabitur.

b) Nibis visum est reverti ad antiquorem traditionem romanam (Saec. X. ex), secundum quam cantores cantant et invocations speciales (cf. OR XXXV A, n. 7: Tunc scola incipit laetaniam et in penultimo dicit: Ut fratrem nostrum Illum electum ad pontificem sanctificare digneris, te rogamus, audi Nostros: ed. M. Andrieu, Les Ordines Romani ... IV 74) Hoc loco benedictio Consecratoris principalis inutilis videtur, quia benedictionem seu consecrationem veram, in ritu nempe sacramentali conferendam, aliquo modo duplicat. Modis usque nunc tractandus in Pontificali Guilelmi Durandi (saec. XII ex.) primo occurrit (I.I, cp. XIV, n. 28: ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain ... III 381 s), in statu minus evoluto in Pontificali Romano XII / saec., secundae recensionis (cp. X, n. 20: ibid. I, 146).

- 25) Deinde surgit solus Consecrator principalis et deposita mitra cantat (vel clara voce dicit) orationem:
Propitiarem, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiae sacerdotalis, benedictionis tuae in eum effunde virtutem.
Per ... a)
- 26) Postea Diaconus:
Levate.
- 27) Omnes surgunt; Consecrator principalis et Episcopi consecrantes stant cum mitra ante faldistoria sua. Electus surgit et coram Consecratore principali genuflectit.
- 28) Tum Consecrator principalis imponit librum Evangelio apertum super cervicem et scapulas Electi. Duo diaconi a dexteris et sinsistris Electi stantes teneant librum Evangeliorum usque dum oratio Consecrationis finitur b)

ad 25: a) Textus receptus in Sacramentario Veronensi (ed. Mohlberg n. 946), in Sacramentario Gregoriano (ed. Lietzmann n. 2, 1) et in tota traditione.

ad 28: a) Nobis ineptum videtur, unum ex Capellanis librum tenere; si autem duo librum tenere debeant, restituatur modus ab antiquissimis temporibus traditus: Liber Evangeliorum a duobus diaconis teneatur: cf. Constitutiones Apostolorum VIII 4, 6 (ed. F.X. Funk I, 472); OR XL A, n.5: 'Postmodum addununtur evangelia et aperiuntur et teneantur super caput electi a diaconibus' (ed. M. Andrieu, Les Ordines Romani ... IV 297); item OR XL B, n. 5 (ibid. 307); Pontificale Romanae Curiae, cp. XIII A (Incipit ordo qualiter romanus pontifex apud basilicam beati Petri apostoli debeat ordinari) n. 4: 'Post haec deferuntur evangelium et apertum tenetur super caput electi a diaconibus' (ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain ... II 396); item: cp. XIII B, n. 15 (ibid. 373): 'Post haec episcopus Ostiensis ponit apertum librum evangeliorum super cervicem consecrandi, sicut fit in consecratione aliorum episcoporum, tenetibus ipsum duobus diaconibus cardinalibus usque ad consecrationem finitam'; Pontificale Guilelmi Durandi, l. I, cp. XVII (Ordo romanus ad romanum pontificem ordinandum) n. 4: 'Post haec liber evangeliorum tenetur super caput electi apertus a diaconis cardinalibus' (ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain ... III 395). Modus alter - duo episcopi teneant librum evangeliorum - a sic dictis 'Statutis Ecclesiae antiquis

- 29) Deinde Consecrator principalis imponit ^{a)} ambas manus super caput Electi nihil dicens ^{b)}. Similiter faciunt post eum et Episcopi consecrantes ^{c)}.

initium sumit: n. 90: 'Episcopus cum ordinatur, duo epicopi ponant et teneant evangeliorum cæddicim super cervicem eius ...' (ed. Ch. Munier, *Les Statuta ecclesiae antiqua* ... 95). Hic modus et in Pontificali romano-germanico (cp. LXIII, n. 31; ed. Vogel-Elze I 216) et in Pontificali Romano XII saec. (cp. X, n. 21; ed. M. Andrieu, *Le Pontifical romain* ... I 147) occurrit.

- b) Cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 26 (Quaes. XII): 'Investigatio historica docet ex antiquissimis temporibus impositionem libri Evangeliorum exstitisse (cf. B. Botte, *Le rituel d'ordination des Statuta Ecclesiae antiqua*: HTAM 11/1939, 231-233), sed solummodo durante impositione manuum (et praefatione consecrationis). Itiam secundum libros liturgicos recentiores (e.gr. Pontificale Guilelmi Durandi saec. XIII ex.: ed. M. Andrieu, *Le Pontifical romain* ... III 382 ss) impositio libri Evangeliorum fit solummodo durante manuum impositione et praefatione consecrationis. Optandum est, ut hic modus restituatur'.

- ad 29: a) Quoad locum ipsius impositionis manuum cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 13 (Quaes. I).
- b) Cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 14 (Quaes. II); 'De verbis 'Accipe Spiritum Sanctum' quae ad manuum impositionem dicuntur investigatio historica docet, hanc formulam per Pontificale Guilelmi Durandi (saec. XIII ex.) in Consecrationem episcopalem introductam esse (ed. M. Andrieu, *Le Pontifical romain* ... III 382; V. Leroquais, *Les Pontificaux manuscrits* ... Paris 1937, I, p. LXXXVII). Quia haec verba secundum Constitutionem Apostolicam 'Sacramantum Ordinis' ad ritum sacramentalem non pertinent, immo in errorem ducunt, ac si istis verbis Episcopus consecraretur, omittantur'.
- c) Cf. Constitutionem 'Sacrosanctum Concilium' n. 76; item Instructionem 'Inter Oecumenici' n. 69: 'Manum impositionem in Consecratione episcopali omnes Episcopi praesentes ... facere possunt'.

Appendix

Ex Traditione Apostolicae S. Hippolyti:

(cf. n. 17 schematis)

(Cum textus originalis deperditus est, hic praebetur versio latina antiqua, quae tamen corrigitur, ubi opus est, secundum reconstructionem lingua gallica a. B. Botte facta ex versionibus orientalibus et praesertim ex 'Epitome Constitutionis Apostolicae' graeca, ubi oratio consecrationis directe ex 'Traditione Apostolica' S. Hippolyti deprompta est.)

Deus et pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis (2 Cor 1,3), qui in excelsis habitas et humilia respicis (Ps 112,5-6), qui cognoscis omnia antequam nascantur (Dan 13,43), tu qui dedisti termines in ecclesia tua regulas per verbum gratiae tuae, qui praedestinasti ex principio genus iustorum ab Abraham, qui constituisti principes ac sacerdotes, et sanctuarium tuum sine ministerio non dereliquisti, cui ab initio mundi placuit, in his, quos elegisti glorificari: nunc effunde eam virtutem, quae a te est, Spiritum principalem (Ps 50,14), quem dedisti dilecto filio tuo Iesu Christo, quem donavit sanctis apostolis, qui constituerunt ecclesiam per singula loca ut sanctuarium tuum, in gloriam et laudem indeficientem nominis tui.

Da, cordium cognitor pater, super hunc servum tuum, quem elegisti ad episcopatum, ut pascat gregem sanctam tuam, et summum sacerdotium tibi exhibeat sine reprehensione, serviens tibi nocte et die, ut incessanter vultum tuum propitium reddat et offerat dona sanctae ecclesiae tuae; da ut virtute Spiritus summi sacerdotii habeat potestatem dimitendi peccata secundum mandatum tuum (Jo 20,23); ut distribuat munera secundum praeceptum tuum et solvat omne vinculum secundum potestatem quam dedisti apostolis (Mt 18,18) placeat tibi in mansuetudine et mundo corde, offerens tibi odorem suavitatis, per filium tuum Iesum Christum, per quem tibi gloria et potentia et honor, cum Spiritu sancto in sancta Ecclesia et nunc et in saecula saeculorum.

Amen.

30) Episcopis consecrantibus ad loca sua reversis omnes dependent mitras et Consecrator principalis extensis manibus ante pectus cantat (vel ~~κακράς~~ clara voce dicit) ^{a)}:

'Deus ^{b)} et Pater Domini nostri Iesu Christi ...
... saecula saeculorum'.

R: Amen.

Sequentia verba essentialia ^{c)} formae Consecrationis episcopalnis cantantur ^{d)} (vel clara voce dicuntur) ab omnibus Episcopis consecrantibus ^{e)}, qui manus versus Electum extendunt ^{f)}:

Prosequitur Consecrator principalis extensis manibus ante pectus:

ad 30: ad ~~XXX~~ Quoad textum orationis Consecrationis cf. Ses. Cons. VI, Schema 102, n. 17 (Quaes. V): '...exameni bubici xi debere videtur quaestio, utrum substitui possit alius textus, qui exprimat melius theologiam munerum episcopalium. Qui textus aut de novo exarandus esset aut sumendus e fontibus antiquis, utique forsitan hic vel illuc leviter mutandis. Imprimis sese offert oratio consecratio Traditionis Apostolicae S. Hippolyti Romani saec. III ineunte scripta. (Haec oratio) ... usque hodie in ordinatione episcopi Coptorum et in forma evoluta qualem induit in 'Testamento Domini' in liturgia ordinacionis Syrorum occidentalium in honore habetur'. - Textus propositus versionem latинam Traditionis Apostolicae S. Hippolyti præbet, quae tamen corrigitur, ubi ppus est, secundum reconstructionem lingua gallica a B. Bottet facta ex versionibus orientalibus et præsertim ex 'Epitome Constitutionis Apostolicae' graeca, ubi oratio consecrationis directi ex 'Traditione Apostolica' deprompta est.

b) Dialogus initialis consuetus orationis Consecrationis non retineatur, quia ex se oratio Consecrationis non est prex eucharistica; praeterea dialogus initialis orationis Consecrationis duplicat dialogum initialem præfationis Missae.

Ratio historica:

Dialogus initialis in epistola Hinemari Archepp. Remensis (saec. IX med.) primo occurrit: n. 9 (ed. M. Andrieu, Le sacre épiscopal ... RHE 48/1953, 39); sed in sic dicto 'Missali S. Eligii' (Ms: Paris, Bibl. nat. lat 12051: saec X. med.): ed. J. Morinus, Commentarius in sacris ecclesiae ordinationibus ... Antwerpiae 1695, 221) hic modus recitur: 'Et non dicitur 'Vere dignum' in consecratione'. In OR XXXVI, n. 37 rubrica dicit: 'Pontifex dicit unam orationem in modum collectae, alteram eo modulamine quo solet contestata (i.e.

- 31) Finita oratione Consecrationis diaconis resumunt librum Evangeliorum de service Consecrati et unus diaconorum tenet codicem usque dum traditur Consecrato^{a)}. Consecrator principalis et Episcopi consecrantes sedent cum mitra.

praeфatio cantari' (ed. M. Andrieu, Les Ordines Romani ... IV 202).- In libris liturgicis romani usque ad saec. XIII dialogus initialis non invenitur, quod patet ex Pontificali Romanae Curiae op. XIII A et B (ed. M. Andrieu, Le Pontifical romain ... II 369. 373).

- c) Secundum propositionem in Sess. Cons. VI factam nobis videntur haec verba ideam essentialiem Consecrationis episcopalnis bene exprimere: 'Nunc... nominis tui'.
- d) Quoad modum preferendi verba essentialia cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 16 (Quaes. IV): 'Optandum est, ut tota forma sacramentalis ... cantu proferratur'.
- e) Cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 18 (Quaes. VI): 'Placuit Patribus, ut verba essentialia tantum ab omnibus Episcopis consecrantibus una cum Consecratore principali cantentur (vel - si tota oratio Consecrationis clara voce dicitur - clara voce dicantur)'.
- f) In schemate 102 de hac manuum extensione versus Electum mentio non fiebat; sed in schemate 124 (De Consecratione Presbyteri) dictum est (n. 11): 'Maxime decet, rubricam firmiter praescribere, ut omnes presbyteri, qui manus imposuerunt, durante praefatione consecrationis circa Episcopum consecrantes stent, immo etiam manuum impositionem per manus dexterarum extensionem continuare debeant; ita aperte demonstratur, quod dicit Constitutio 'Lumen gentium': 'Presbyteri, ordinis Episcopalis providi cooperatores eiusque adiutorium et organum ... unum presbyterium cum suo episcopo constituunt ...'. Si autem in Consecratione Presbyteri Consecrator et presbyteri adstantes ad verba essentialia manus versus Consecrandos extendunt, potius ergo in Consecratione Episcopi Consecrator principalis et Episcopi consecrantes modo proposito manus extendant.
- ad 31: a) Cf. Sess. Cons. VI, ~~XII~~ Schema 102, n. 26 (Quaes. XII).

- 32) Consecrator principalis pollicem suum intingit in sanc-
tum Chrisma et inungit ^{a)} in forma crucis ^{b)} summittatem ^{c)}
capitis ^{b)} ~~и хвилыхъ~~ Consecrati coram se genuflexi dicens:

Expleta unctione Consecrator principalis pollicem abstem-
git.

- 33) Tunc diaconus librum Evangeliorum tenens dat illum Con-
secratori principali, qui librum Evangeliorum Consecra-
to tradit his verbis: ^{a)}

Accipe Evangelium et praedica populo tibi commisso;
potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam. ^{b)}

Post hae diaconus resumit librum Evangeliorum et repo-
nit in legile.

- 34) Tum Consecrator principalis annulum in digitum annula-
rem dexteræ manus Consecrati immittit ^{a)} dicens:

Accipe annulum ut fidei signaculum: et sponsam Dei,

ad 32: a) Quoad positionem unctionis capitis cf. Sess.Cons.
VI, Schema 102, n.15 (Quaes.VII); quoad omissio-
nem unctionis manuum cf. ibid. n. 21 (Quaes. VIII).

b) Cf. Sess. Cons. VI, Schema 102, n. 20: 'Optandum
est, ut unctio capitis peragatur liniendo chrisma
te sedummodo summittatem capitis (vel, si casus
ferat, frontem) in forma crucis. Ligatio capitis
cum mappula ritus inutilis est et omittatur'.
Cf. ibid., n. 21: 'Antiphona 'Unguentum in capite
... cum suo psalmo ad unctionem capitis cani pot-
est, si plures consecrandi sunt'. In Sess.Cons.
ad huc punctum D.Martimort dixit: 'Antiphona'Ungu-
entum in capite' cum suo psalmo hodie difficulta-
tem facit"; proposuit, ut cantetur Is 62,1-2 (Lc
4, 18-19).

c) Formula adhuc exarabitur.

ad 33: ad ~~и~~ Cf. Sess.Cons.VI, Schema 102, nn. 27 s (Quaes.
XIII et XIV).

b) Pontificale Romanum:

'Accipe Evangelium, et vade, praedica populo ti-
bi commisso; potens est enim Deus, ut augeat ti-
bi gratiam suam; qui vivit et regnat in saecula
saeculorum. R:Amen.'

ad 34: a) Cf. Sess.Cons.VI, Schema 102, n. 22 (Quaes. IX):
'...benedictiones (sc. insignium) tempore oppor-
tuno, ante ipsam actionem sacram peragantur'.

sanctam Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodi' b).

- 35) Deinde Consecrator principalis tradit Consecrato baculum Pastoralem in manum dexteram dicens: a)
Accipe baculum, sacri regiminis signum, ut debiles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis aeternae, habeasque potestatem eligendi dignos et corrigendi indignos.
- 36) Deinde Consecrator principalis imponit Consecrato mitram nihil dicens. a)
- 37) Tum surgunt Consecrator principalis et Episcopi consecrantes et Consecratus. Consecrator principalis et dignior Episcoporum consecrantium intronizant Consecratum (si consecratio fit in Ecclesia propria Consecrati) huc modo: Consecrator principalis et dignior Episcoporum consecrantium ducent Consecratum ad cathedram episcopalem, Consecratore principali a dextris, digniore Episcoporum consecrantium a sinistris Consecrati ingrediuntibus, praecedentibus omnibus aliis Episcopis consecrantibus.
Si autem Consecratio non fit in Ecclesia propria Consecrati, Consecrator principalis et dignior Episcoporum
-
- b) Pontificale Romanum:
'Accipe annulum fidei scilicet signaculum: quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam intemerata fide ornatus, illibate custodias.
R:Amen.'
- ad 35: a) Cf. Sess.Cons.VI, Schema 1o2, n.25 (Quaes. XI); formula proposita iam in Pontificali romano-germanico (ed. Vogel-Elze I 222) occurit.- Verba finalia emisimus, quia initium conclusionis orationis sunt; formula ad traditionem alicuius insignis autem non est oratio.
- ad 36: a) Cf. Sess.Cons.VI, Schema 1o2, n. 24 (Quaes. X). Impositio mitrae secundum opinionem nostram fiat sub silentio, quia formula tradita - unica in historia Consecrationis Episcopi - 'rerum conditio nem obsoletam sapit' (ex Declarationibus Commissionis praecconciliaris ad art. Const. 'Sacrosanctum Concilium' nunc 76 ad d): 'Imponimus, Domine, capiti huius Antistitis et agonistae tui galeam munitionis et salutis, quatenus decorata facie, et armato capite, cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis; et te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus

consecratum deducunt Consecratum ad sedes Episcoporum concelebrantium et Consecratus sedet hac die ad dexteram Consecratoris principalis ^{a)}.

- 38) Denum Consecratus accipit a Consecratore principali et ab omnibus Episcopis consecrantibus osculum pacis et praebet pacem etiam presbyteris forte concelebrantibus.

IV: De liturgia eucharistica

- 39) Fiunt omnia secundum Ritum servandum in Concelebratione Missae ^{a)}; hae autem addantur:

- 40) Inter oblata per ministros deferenda sint duo intortitia, duo panes, duo barilia vino plena. ^{a)}

- 41) 'Hanc igitur' proprium ab omnibus Concelebrantibus dicitur (vel cantatur) excepto Consecrato: ^{a)}

'Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus, etiam pro hoc famulo tuo, quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quaesumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias; ut quod divino munere consecutus est divinis exsequatur effectibus: diesque nostros in tua pace disponas: atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. R.Amen.' ^{b)}

existat, qui Moysi famuli tui faciem ex tui seru-
menis consortio decoratam, lucidissimis tuae clae-
ritatis ac veritatis cornibus insignisti: et capi-
ti Aaron Pontificis tui tiaram imponi iussistii
Per Christum Dominum nostrum. R.Amen.'

- ad 37: a) Cf. Sess.Cons. VI, Schema 102, nn. 29 s. 32 (Quaes. XV): 'Pontificale Romanum distinguit quoad ritum inthronizations casum, in quo epis-
copus in propria ecclesia, et casum, in quo non in propria ecclesia consecratur. Inthronizatio episcopi in ecclesia aliena consecrati cum veri-
tate ritus cohaerere non videtur.- Episcopus in ecclesia aliena consecratus in fine totius ritus consecrationis deducatur A Consecratore ad se-
dem Episcoporum concelebrantium et sedeat secun-
dum antiquam traditionem Romanam hac die 'super'

42) Communione fidelium expleta cantatur hymnus 'Te Deum laudamus' a).

Hymno finito Episcopus celebrans principalis cantat 'Dominus vobiscum' et Postcommunionem et perficit reliqua in conclusione Missae.

43) Loco benedictionis Pontificalis consuetae dici potest Benedictio sollemnis 'Gallicana' a).

omnes Episcopos' (OR XXXIV, 42: ed. M. Andrieu, *Lectiones Ordines Romani ... III*, 613)!!'

ad 39: a) NN. 29 ss.

ad 40: a) Cf. Pontificale Romanum.

ad 41: a) 'Hanc igitur' natura sua exprimit intentionem specialem sacrificii, sicut docet investigatio historiae: cf. J.A. Jungmann, *Missarum Solennia ... II*, 225 - 234.

b) Textus 'Hanc igitur' Pontificalis Romani iam in Sacramentario Gregoriano (ed. Lietzmann n. 2, 9) occurrit.

ad 42: a) Hic modus cantandi Hymnum 'Te Deum laudamus' post communionem fidelium demonstrat hymnum esse elementum gratiarum actionis pro gratia tam in Consecratione episcopali quam in Eucharistia accepta.

ad 43: a) Pontificale romano-germanicum (cp. LXIII, nn. 56 ed. Vogel-Elze I, 225) praebet duo exempla, quorum unum in casu, quo Consecratus ipse, quorum alterum in casu, quo Consecrator principalis dat benedictionem (aliquo modo variatum) uti possit:

I: Benedicat tibi dominus custodiensque te, sicut uoluit super populum suum constituere pontificem, ita in praesenti saeculo felicem et aeternas felicitatis faciat esse consortem. R. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione in tua sanctione congregari, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. R. Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fide obsequentes et in praesenti saeculo pacem tranquillitate fruantur et tecum aeternorum civium consortio potiri mereantur. R. Amen.

Quod ipse praestare dignetur.

II: Deus qui populis tuis indulgendo consulis et amore dominaris, da spiritum sapientiae quibus tradidisti regimen disciplinae, ut de profectu sanctorum ovium fiant gaudia aeterna pastorum. R. Amen.

Et qui dierum nostrorum numerum temporumque mensuras maiestatis tuae potestate dispensas, propitium

- 44) Data benedictione omnes processionaliter per ecclesiam ingrediuntur, Consecrato deducto a Consecratore principali a dextris et digniore Episcoporum consecratum a sinistris. Consecratus circumdeundo omnibus benedicit ^{a))} Et sic omnes revertuntur in secretarium.
-

ad humilitatis nostrae respice servitutem et pacis tuae abundantiam temporibus nostris praetende perfectam. R. Amen.

Collatis quoque in me per gratiam tuam propitiare muneribus et quem fecisti gradu episcopali sublimem, fac operum perfectione tibi placentem atque in eum affectum dirige cor plebis, et praesulim, ut nec pastori oboedientia gregis nec gregi desit unquam cura pastoris. R. Amen.

Quod ipse praestare dignetur.

ad 44: a) Cf. Pontificale Romanum.